

festabilis est, sicut etiam ideæ, et omnipotentia quantum ad entitatem suam videntur a quolibet beato, sed quantum ad terminationem ad diversa objecta non videntur a quolibet, sed juxta majorem, vel minorem penetrationem divinæ essentiae, et participabilitatis ejus a creaturis.

XII. Sed instabis. Nam etiam divina essentia ratione suæ eminentiæ simul est absoluta et relativa, communicabilis et incommunicabilis, et propter hanc identitatem non potest videri essentia sine relationibus, seu Personis, ut præcedenti articulo ostensum est, ergo similiter quia idem actus ob sui eminentiam est necessarius, et liber, non poterit videri ut necessarius, nisi etiam videatur ut liber. Et secundo, instatur in ipsamet ordinatione divina, qua Deus libere vult, et ordinat ut talis actus videatur a tali beato, nam talis ordinatio cum sit libera de se, etiam est occulta, ergo non poterit videri ex vi luminis gloriæ penetrantis divinam essentiam, vel si potest idem dicetur de aliis actibus liberis Dei: si autem indiget alia ordinatione, ut videatur a beato dabitur processus in infinitum, nam de illa idem inquiram quomodo sine alia ordinatione videatur a lumine gloriæ.

XIII. Respondetur esse disparem rationem de absoluto et relativo reali, seu communicabili et incommunicabili in Deo, atque de libero et necessario, licet enim omnia hæc in ipsa eminentia divina contineantur modo indivisibili, tamen relativum, et absolutum pertinent ad ipsum Deum ut intra se constituitur, seu terminatur, non autem ut se habet erga creaturas extra se. Unde si videtur Deus ut est in se, necesse est quod videatur quantum ad absoluta, et relativa, quia totum hoc pertinet ad ipsam realitatem Dei, id est, ad

substantiam, et modum quo Deus est in se. Cæterum ratio liberi non pertinet ad constituendum, vel terminandum Deum realiter ut est intra se, sed ad terminationem erga creaturas qua libere illas Deus attingit. Unde tota visio Dei ut est in se, non exigit attingentiam hujus actus liberi ut terminatur ad creaturas, licet attingat totam entitatem ejus ut tenet se ex parte Dei, et est ipsa ejus substantia. Neque in hoc est major difficultas quam de ipsa omnipotentia, et ideis divinis, quæ videntur quoad entitatem a quolibet beato, non tamen ut participantur a creaturis, nisi juxta modum penetrationis omnipotentiae Dei, sic actus liberi ut exercentur erga creaturas non videntur nisi dependenter a voluntate, et ordinatione Dei, eo quod jam non pertinent ad Deum ut est in se sicut relationes reales, et attributa absoluta, sed ad ipsum ut se habet erga creaturas. Ea autem quæ pertinent ad Deum, secundum quod est participabilis a creaturis, vel se habet libere erga illas non est necesse, quod cognoscantur ex eo præcise quod Deus cognoscitur, ut est in se, sed secundum quod magis, vel minus penetratur ejus virtus, vel manifestatur voluntas.

XIV. Ad secundam instantiam respondetur illam ordinationem divinam, qua vult aliquod decretum liberum manifestare beato esse manifestativam, et sui, et illius decreti, quia hoc ipso quod illud vult manifestare, vult esse illi manifestum quod Deus id vult, et consequenter talis ordinatio redditur non minus manifestativa sui, quam alterius decreti quod vult manifestari, utrumque enim pertinet ad finem manifestationis: et sic non sequitur processus in infinitum.

XV. Secundo arguitur: Si ponantur duæ visiones una, quæ mani-

festet quidditatem Dei, non decreta libera, alia vero quæ manifestet utrumque, vel hæc secunda habet ex natura sua majorem perfectionem, quam prima, vel non. Hoc secundum non est intelligibile, videt enim totum quod altera, scilicet quidditatem Dei, et aliquid amplius, scilicet decreta libera, ergo perfectior est. Deinde, quia si non est perfectior, ergo ad videndum omnia decreta libera non requiretur perfectior visio, quam ad videndum aliqua, vel nulla, sed ex natura sua quælibet visio erit sufficiens, videre omnia decreta, si quidem ut videat aliqua non requiritur major perfectio, quam ut nulla videat, sed eadem visio sufficiet dummodo Deus illa non occultet. Si dicatur primum, contra est. Quia illud quod pertinet ad rationem actus liberi, ut determinate versatur circa hoc, vel illud objectum tale est, quod sine illo potest salvari totum quod pertinet ad perfectionem Dei, si quidem posset non velle illam creaturam, eo quod libere vult, et eodem modo se haberet, ergo per hoc quod videat illum liberum determinate actum nulla perfectio major videtur in Deo, et consequenter neque ipsa visio ex hoc majorem accipit perfectionem.

XVI. Respondetur quod circa illas visiones aliqui censent absolute loquendo perfectiorem esse visionem, quæ in Deo attingit decreta libera, quam quæ non attingit, non quidem perfectione specifica, sed individuali. Ita Pater Suarez lib. II de attributis negativis, c. XXIV, n. XII. Alii e converso censent non esse perfectiorem intrinsece, sed solum extrinsece, neque individualiter mutari visionem per hoc quod attingat decreta libera, quæ antea non attingebat, licet accidentaliter varietur. Ita magister Gonzalez hic disp. XXXII, sect. III, circa finem, et theologi

Carmelitani tract. II, disp. VII, dub. III, num. XLVI, qui addunt, et bene quod ille, qui videt in Deo aliquam speciem determinatam creaturæ, v. g. hominem, vel Angelum, et eorum accidentia, ad videndum in singulari aliquod individuum circa quod Deus libere decernit, non indigebit novo lumine, seu perfectione extrinseca ea superaddita. Secus erit si non cognoscat illam speciem talis naturæ, vel accidentis, circa quod Deus libere decernit, tunc enim ad cognoscendum quid Deus decernat circa tale objectum, necesse erit videre de novo speciem illius rei, et sic oportebit, quod crescat perfectio luminis, et visionis. Quare ad videndum quid Deus libere decernat circa aliquam rem, cujus nulla cognitio antea habebatur in Deo, circa ejus possibilitatem, vel naturam specificam, necesse est quod intrinsece perficiatur talis visio. Si tamen notitia talis creaturæ, et accidentium, quæ libere attinguntur a Deo habebatur saltem quantum ad speciem, seu possibilitatem, ut videatur quantum ad exercitium liberum in individuo, et quoad existentiam, non indigebit novo lumine, vel intrinseca ejus perfectione de novo, sed solum voluntaria manifestatione Dei, id est, ordinatione decreti sui erga talem intellectum ut videat, quid Deus velit libere circa illud. Et sic visio beata, quæ attingit quidditatem Dei, et creaturam ipsam saltem quoad speciem, et possibilitatem non oportet quod sit perfectior quam illa, quæ attingit eandem quidditatem Dei, et naturam illam creatam in ea contentam, et ulterius exercitium liberum divini decreti circa illam. Si vero non attingit visio aliqua exercitium decreti liberi, neque naturam ipsam, et speciem rei creatæ circa quam libere versatur tale decretum, si illud videat, perfectior visio requiretur

non propter ipsum exercitium liberi decreti præcise, sed propter adjunctam notitiam rei creatæ etiam quoad naturam, et speciem suam. Et similiter si Deus manifestet aliquas latentes rationes, vel convenientias propter quas Deus aliquid decernit, et non solum manifestet ipsam nudam volitionem talis objecti quoad an est, sine dubio postulat perfectiorem visionem, quia penetrat in Deo plures rationes, et convenientias, quæ in ipsis rebus, vel iudiciis Dei fundantur, quarum cognitio est alicujus novæ formalitatis, vel perfectionis penetratio. Et in summa, si visio crescit in penetratione majori sui objecti primarii in ordine ad cognoscendum secundarium, vel ea quæ ad ipsum Deum pertinet, oportet quod etiam visio major, et perfectior reddatur, et intrinsece crescat. Si autem major penetratio ipsius Dei non requiratur, sed sola revelatio aut manifestatio voluntatis liberæ Dei, hoc præcise non requirit perfectionem visionem intrinsece, et quasi intensive, sed solum extrinsece, vel extensive. Quando ergo Deus manifestat aliquod decretum suum, solum revelando se velle tale objectum non autem manifestando rationes, et convenientias volendi illud, ex hoc præcise non exigitur perfectior visio intrinsece, supposito quod videt essentiam Dei, et rem illam creatam circa quam versatur decretum, saltem quantum ad speciem suam, vel possibilitatem; tunc enim habet principia sufficientia ad videndum quid velit Deus, solum per hoc quod tollatur occultatio actus illius liberi in quantum moralis, et liber est, et sic per illudmet lumen, quo cognoscitur natura talis actus potest ipsum exercitium liberum attingi, solum per hoc quod Deus ordinet talem actum, ut ab isto beato cognoscatur, et illa ordinatio cum illo

lumine gloriæ revelatio est. Ad intelligendas autem, et penetrandas rationes, et convenientias, quibus Deus movetur ad volendum hoc potius, quam illud, perfectior cognitio requiritur, quia magis penetrativa est alicujus naturæ, id est, rationum et convenientiarum, quibus divina voluntas movetur.

XVII. Ultimo arguitur: Ille qui est magis beatus non videt aliquando omnia illa decreta libera, quæ minus beatus cognoscit, ergo non videt illa ex vi visionis et mediante essentia divina quicumque ea videt. Consequentia patet, quia si ex vi visionis divinæ essentiæ videretur, ex penetratione divinæ naturæ viderentur, et sic quo major esset penetratio seu perfectior visio, eo esset major cognitio istorum decretorum. Antecedens vero probatur, quia de his decretis liberis tanto aliquis plura, vel pauciora cognoscit, quanto ad suum statum plura, vel pauciora pertineat, ut ex D. Thoma in part. quæst. x, art. ii et quæst. viii de verit. art. iv, colligitur. Constat autem aliquando plura pertinere ad statum inferioris beati, quam ad statum superioris, et sic superiori beato non debetur visio eorum, quæ inferior beatus videt, utpote cum ad suum statum non pertinet, ergo signum est ex vi visionis divinæ essentiæ non videri, sed ex revelatione peculiari Dei per distinctum lumen. Nam sola Dei ordinatio extrinseca cum eodem lumine gloriæ non apparet, quomodo possit manifestare illa decreta libera. Currunt enim hic omnes difficultates, quæ solent objici circa locutionem Angelorum contra eos qui sentiunt ex sola ordinatione extrinseca conceptus loquentis, posse manifestari conceptum liberum Angelo audienti sine alio lumine, vel specie de novo impressa. Confirmatur, quia actus liber Dei quantum ad illam termi-

nationem qua libere attingit hoc objectum potius quam illud non est nisi respectus rationis, hic autem ex vi visionis essentiæ divinæ non potest attingi, quia in illa non continetur cum sit ens fictum neque habet connexionem cum illa necessariam, cum sit aliquid contingens, et liberum, ergo ex vi visionis divinæ essentiæ nullo modo potest attingi, sed per revelationem extra Verbum.

XVIII. Respondetur quod si decreta libera cognoscerentur ex vi penetrationis divinæ essentiæ, et virtutis ejus absolute considerata argumentum haberet vim. Nunc autem nos dicimus cognosci in vi visionis divinæ essentiæ dependenter ab ordinatione speciali divinæ voluntatis qua vult hoc, vel illud decretum in particulari isti, vel illi manifestari. Et sic non sequitur quod qui magis penetrat divinam essentiam, et virtutem, et est magis beatus, videat ea decreta, quia Deus non ordinat ad intellectum beati superioris ea decreta, quæ ordinat ad intellectum inferioris, quia ad statum hujus pertinet, non illius, sicut potest unus Angelus dirigere suum actum liberum ad inferiorem Angelum, cui loquitur, non ad superiorem, et tunc non intelligitur a superiori illa locutio quæ intelligitur ab inferiori. Neque tamen hoc arguit perfectiorem beatitudinem in eo, qui plura habet ex istis decretis, vel ex illorum objectis in unione divinæ essentiæ, quia ut jam notavimus bene stat, quod aliquis inferioris beatitudinis videat objecta ista decreta, solum quoad an est, neque tamen penetret omnes rationes intelligibiles talis objecti, neque omnes convenientias, vel rationes, quibus divina voluntas movetur ad sic discernendum. Alter autem beatus qui pauciores creaturas videt, plus tamen de rationibus earum intelligibilibus,

vel de convenientiis, quibus movetur divina voluntas intelliget, et ita perfectius, et penetrantius divinam essentiam intuetur, licet pauciores creaturas extensive attingat. Et cum instatur inquirendo, quidnam sit illa ordinatio divina, et quid ponat in lumine, vel in specie repræsentativa, ut beatus dicatur illa intelligere, respondemus nihil intrinsecum ponere in lumine, vel in specie, sed solum tollere impedimentum morale extrinsecum, quo impeditur lumen, seu species repræsentans illam naturalem entitatem voluntatis, vel actus, cognoscere exercitium liberum, et morale ejus independenter ab ipsa voluntate libera, et sine hoc quod per ejus ordinationem reddatur pertinens ad eum, qui vult loqui, et manifestare quod vult; qua ordinatione posita, quasi impedimento morali sublato, jam ille actus voluntatis, vel decretum pertinet ad eum, ad quem ordinatur tamquam si esset actus proprius, vel aliquid ejus, et sic naturale lumen potest attingere illum actum voluntatis in locutione Angelorum, et supernaturale lumen gloriæ potest attingere actum divinæ voluntatis in visione ipsius essentiæ, et voluntatis Dei. Difficultates vero quæ circa hunc modum dicendi in locutione Angelorum versantur in materia de Angelis solventur, modo enim rem hanc supponimus.

XIX. Ad confirmationem respondetur ex supradictis quod actus liber in Deo etiam in ratione liberi, non dicit neque consistit in aliquo ente rationis, licet solum distinctione rationis differat ab actu necessario, et similiter attingentia ipsa, et determinatio ad objectum libere volitum, non sit respectus realis, sed eminentia actus divini, cum omni independentia attingens objecta sua, quod per respectum rationis expli-

catur, licet in illo non consistat, sed solum fundamentum illi præbeat respectu nostri intellectus non potentis aliter explicare illam terminationem. Quia tamen actus divinus non habet connexionem necessariam cum objecto libere volito a se, ideo non sufficit sola cognitio, et penetratio divinæ essentiæ in se, et ut quidditas necessaria et præcise ad hoc, ut videatur ille actus liber, ut libere terminatur ad objectum, sed requiritur quod ipsa voluntas divina sic se manifestet, et ordinet ut decretum suum videatur ab isto, vel illo beato.

## ARTICULUS III.

*Utrum ex vi visionis essentiæ divinæ videantur a beatis aliquæ creaturæ?*

I. Supponimus pro intelligendo puncto difficultatis duo. Primum dupliciter posse aliquid cognosci ex vi visionis divinæ. Primo formaliter, secundo causaliter. Formaliter, quando ex vi alicujus connexionis inter Deum, et creaturas cognoscuntur creaturæ viso Deo, vel eadem formali cognitione complectente utrumque ratione talis connexionis, vel inferente unum ex alio, tamquam ex medio manifestandi, et cognoscendi. Causaliter, quando alia cognitione attingitur Deus, alia creaturæ sine ulla connexionem aut illationem, et similiter alio lumine, quia scilicet cognoscuntur in proprio genere, et per species creatas, non in Deo, nec per speciem ipsam increatam. Dicitur tamen causaliter id haberi ex visione beata quia licet per ipsam formaliter non cognoscantur, sed per revelationes aliquas speciales extra Verbum, tamen istæ dantur a Deo intuitu illius visionis, et ratione ejus debentur, vel ab illa derivantur aut regulantur, sic enim

speciales aliquæ revelationes fiunt beatis, et Christus Dominus habet scientiam infusam, qua cognoscit omnia quæ per revelationem divinam cognoscibilia sunt extra Verbum, ut docet S. Thomas III p. quæst. XI.

II. Suppono secundo, quod visio aliqua potest attingere plura, vel quia concomitanter repræsentantur in eadem specie, et attinguntur in eadem cognitione, vel quia unum dicitur habitudinem aut connotationem aliquam ad alterum, sicut unum relativum se habet ad aliud, ut simile ad suum simile, non tamen unum relativum est medium cognoscendi aliud, quia non se habet ut causa vel effectus illius, sed potius sunt simul cognitione. Vel tandem unum se habet ut medium et ratio cognoscendi aliud, quatenus sumitur ex ipso ratio manifestandi aliud, et manifestando reddit illud cognoscibile per tale medium et per tale manifestativum. Primo modo repræsentantur plura in eadem specie, verbi gratia, in specie Angeli superioris repræsentatur equus et leo, et multæ aliæ species, non tamen una est ratio cognoscendi aliam, sed potest Angelus simul duas vel plures species concomitantes intelligere, vel etiam unam non intelligendo aliam. Unde non salvatur in hoc quod ex vi visionis unius naturæ specificæ videatur alia. Secundo modo potest quidem unum cognosci cognito alio, non tamen proprie dicitur unum se habere ut medium et ratio cognoscendi alterum, quia potius ut diximus sunt simul cognitione, quod autem se habet ut ratio et medium alterius, se habet ut prius illo in quantum tale. Et tamen etiam isto modo fieri solent plures demonstrationes quoad nos, quatenus uno cognito vel admissio non stat alterum non poni, sicut mathematicis fiunt plures demons-

trationes ex proportionem, æqualitate et similibus relationibus inter lineas, figuras et numeros. Tertio vero modo proceditur ex vi connexionis unius ad alterum, quatenus una veritas continet et manifestat alteram, et ad hoc requiritur connexio unius ad alteram tamquam medium et ratio illius, scilicet secundum aliquam rationem causæ vel effectus, vel repræsentationis, eo quod requiritur, quod aliquid se habeat ut prius vel posterius respectu illius; ubi autem intervenit ratio prioris et posterioris, aliquid causalitatis vel effectus reperitur, et ubi est causalitas, etiam est dependentia saltem in altero extremo causato.

III. Et in hoc consistit punctus difficultatis præsentis, an videlicet cognoscantur creaturæ per visionem beatam non solum causaliter, id est, causando et derivando ex visione beata distinctum lumen et species, quibus videantur creaturæ extra Verbum in proprio genere, sed etiam formaliter, per eandemmet cognitionem creaturas attingendo, et videlicet ut objectum secundarium visionis, et consequenter habendo Deum pro objecto primario, et prius cognitum est, videtur habere etiam rationem medii per quod cognoscantur. Quod si non habet rationem medii quo cognito et in vi cujus cognoscantur creaturæ, restat videre an illæ creaturæ videantur in Deo ratione alicujus habitudinis vel connotationis, vel ratione pure concomitantis ibi repræsententur sicut plures naturæ in specie universaliori Angeli superiores, an vero tandem repræsentantur in Deo ex vi visionis tamquam in causa vel medio prius cognito.

IV. In hac parte est celebris sententia quam p. Vazquez et plures ejus sectatores defendunt negantes, non posse creaturas cognosci in divina essentiæ, ut in causa seu me-

dio prius cognito. Ita affirmat hic dis. I, cap. VI. Et fundamentum est quia impossibile est Deum se habere ut medium et causam, qua cognita cognoscantur creaturæ, nisi inter Deum et creaturas intercedat connexio necessaria, ratione cujus Deus visus manifestet infallibiliter creaturas, si enim connexio ista non intercedit, bene stat poni unum non posito alio, ergo ex vi cognitionis Dei non infertur de necessitate cognitio creaturarum, et sic non est medium evidenter manifestans illas quia medium evidenter manifestans est illud quod per necessariam connexionem, et illationem manifestat. Sed inter Deum et creaturas non intercedit connexio necessaria, ergo. Minor probatur, quia id quod habet connexionem necessariam cum alio seu relationem transcendentalem ad illud, oportet quod desinente vel cessante eo cum quo habet necessariam connexionem, etiam desinat et cesset, alias non est necessaria connexio, si hoc sine illo subsistere potest, et salvari, sed divina essentia ita est absoluta et independens, quod etiamsi omnis creatura redderetur impossibilis, non desineret, ergo non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus. Minor constat, quia divina veritas est multo firmior et immutabilior quacumque possibilitate creaturæ, quia hæc est veritas participata et derivata ab illa, tamquam infinite ab illa distans, ergo est multo minor et infirmior illa, ergo ex definitione hujus veritatis creatæ, non infertur desitio veritatis divinæ, alias penderet id quod firmius est ab eo quod infirmius, et imperfectius.

V. Hæc ratio ab oppositis auctoribus tamquam demonstratio magnificatur, et ex illa moventur ad negandum quod non solum beati, sed nec ipse Deus cognoscit creaturas in se ipso ut in causa et medio